Q. D. B. V.

§. 1.

Juris patrii per Germaniam neglectus et addiscendi necessitas.

Quod olim Q. Mucii Scaevolae temporibus tam turpe habebatur atq. probrosum, Patricium et causas orantem, Jus, in quo versaretur, ignorare, ast id quidem hodie, non sine nostro litterarumq detrimento, dedecori haberi fere desiit. Maxima eorum pars, qui Themidos cultores se profitentur, satis se Suo fecisse officio, judicant, cum Jura quaedam peregrina et in foro nostro vel usum exiguum habentia, vel nullum, percallverunt, patrias interim leges et Statuta. domestica strenue ignorantes, vel etiam data opera supprimentes. Jacet pulvere coopertum Speculum Saxonicum, oblivionis flumine abreptum ductum Suevicum Jus, cum blattis tineisq pugnant veterum Germaniae Principum Constitutiones et quam Conringius, Medicus praeiverat viam, praeter Schilteros, Hertios, Thomasios etc. pauci JCtorum ingredi audent. Equidem Juris publici scientia caput jam paullatim erigit, postquam aliquot abhinc annis in medii aevi historiam sollicitius inquiri et ex pulverulentis Archivorum, reliquiis, aut coenobiorum MSctis lumen accendi Reipublicae Statui coeptum est. Atqui ex re etiam est, Provinciarum particularium, aut civitatium, habere, qui Jura, Privilegia, Statum ipsarum accurate inquirere eaq, qua par est, prudentia et libertate contra quascunq aliorum injurias tueri non vereantur. Horum enim, qua vigi-